

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 37. (*Neovidensis* 1806. Nro. 30.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter
ac mortuos.*

Epistola missa in Elysium ad Bogislaum

XIV: Ducem Pomeraniæ.

Ex mundo superiore.

Elysium-Meum.- Die Martis 29. April. 1806 (*Neov.* 11. April. 1806.)

Serenissime Dux!

Pomerania, cujus tu XVII. & ultimus Dux fuisti, forte paulo post magnarum mutationum erit theatrum. Olim diversa subiit fata, non dubito, quin gratum tibi futurum sit intelligere in campis Elysiis, quæ nam agitent circa illam consilia in mundo superiore degentes.

Omnia fuisse in hac regione perturbata Sæculo V. testantur Vandali, Heruli & Rugii, qui hac, atque illac migrabant, nulla erat rerum securitas, populi, uti hodie adhuc faciunt Tartari Thibetani, de loco in locum oberrabant, & more barbarorum unus alterum depellebat, hostilem in modum omnia vastata sunt, ut nullum fuerit reperire fixum domicilium. Ipsi adeo Veneti, & Slavi ingressi sunt Pomeraniam, ibidem habitaturi, hæc

profecio infelicia erant tempora, & vera vagabundorum vita.

Tardius deinde Pomerania ad dignitatem Regni erecta est, cui summa cum potestate praefuit Mistevojus, a quo, ut multi scriptores propugnant, regnans domus Megalopolitana originem trahit. Tandem Svantiborius sacra Christianorum amplexus est, cujus filii Regnum inter se partiti sunt. Hic singulare occurrit illud: Illius temporis Duces opera Ottonis Episcopi Bambergensis perductos fuisse ad communionem Catholicorum Saeculo 12. Interim incolae inveterato odio ferebantur in Germanos, & diuturna cum ordine Teutonico gerebant bella cum fine Saeculi 13. Sed etiam Poloni, Dani, Sveci, Brandeburgi saepius hanc provinciam depopulati sunt. Post pugnam A. 1709 ad Pultavam commissam invaserunt eam Poloni cum Russis, pro qua in sequestrum accipienda solvit Borussia Russis 400 millia Imperialium; Verum hoc tractatu minime contentus Rex Sveciae ejectis A. 1715 Borussia occupavit insulam Rugiam, atque urbem Stralsundam.

Serenissime Bogislae! A morte tua in Pomerania debuisset succedere Borussia, erat enim tibi sanguine juncta, verum articulus 11. pacis Osnabrugensis A. 1648 confectae partem Pomeraniae attribuit Svecis, Borussiae autem titulo compensationis assignat alias provincias.

Ista est sors regnorum, uti etiam homi-

num, mutabilis semper, & inconstans. Multas jam provincias, imo integra regna immutarunt bella, & jus victoris. Cruentas victorias excepit pax Vestphalica, qua stabilitas Statuum Europæorum confirmanda putabatur.

Enimvero quid est stabile sub sole? Exorta seditione gallica causam Germaniæ pro virili defendendam suscepit Svecia, utpote, quæ pro ea conservanda fidem suam interposuerat in pace Vestphalica. Diversa misit scripta ad Comititia Imperii Ratisbonam, in quibus sæpe invicti animi sensa pro germanica constitutione legebantur. Erant hæc nova elato stylo concepta verba, libenterque audiebantur, sed quia nulla militari vi sunt sustentata, in altis oblivionis regiones avolarunt.

Donec tandem A. 1805 Svecia ad coalitionem, quam Anglia, & Russia conflavit, accessisset. Quis vero fuerit hujus coalitionis exitus, intellexeris Serenissime Bogislæ! ex cursu rerum gestarum, & potissimum ex prælio ad Austerlitz habito. Austriæ descendendum fuit ad pacis condiciones, Russia domum reversa est, Regnum Neapolitanum Gallia suæ ditioni subjecit, & Sveci, qui hostili cum apparatu contra Gallos usque in Ducatum Hanoveranum progressi sunt, relegunt iter in Pomeraniam Stralsundam versus.

Hoc bellicoso Sveciæ Regis conatu offensus, qui coalitionem dissipavit, dicitur tulisse sententiam, Regem Sveciæ removen-

dum esse a continente, id est Pomerania sve-
cica exuendum.

Haftenus copiae Svecicae stativa habebant
in tractu Launenburgico, at nunc septem le-
giones Borussicae illuc proficiscuntur; Sveci
vero se in Pomeraniam retrahunt, uti patet
ex sequentibus:

Stralsunda 1. Apr. Heri hinc discesserunt multi
currus annona onusti Gryphisvaldam, & Bar-
dum. Sua Majestas expectatur ventura Gry-
phisvaldam. Die 31. Martii sequens edictum
promulgatum est:

De reditu Suae Majestatis nostri Clemen-
tissimi Regis, & Domini cum suo exercitu in
hanc provinciam, certiores reddentur incolae,
quibus una significabitur; ratione hospitiorum,
& alimentorum militiae praestandorum, uti
etiam necessarii forte pabuli, & solutionis
pro duobus postremis articulis idem iterum
observandum esse, quod in priore exercitus
commoratione factum est. Cui praescripto se
incolae, & itineris Curatores accommodabunt.

Ex Regio Svecico primario hospicio 2. Aprilis:

Postquam exercitus 29. Martii in vicinia
Langensi congregatus, die 30. ibidem con-
quievisset, 31. se itineri accinxit. Prima, &
tertia Divisio se conjunxit ad Kolrovium,
iterque suum prosecuta est versus novam po-
sitionem prope Tessinum ductore ipsa Regia
Majestate. Aliud agmen duxit Promareschal-
lus campi generalis L. B. Armfeld, quod in
parallela linea ad eundem locum properavit.

Sua Regia Majestas suum princeps hospitium fixit Tessini. Prima, & tertia divisio iterum conjuncta est ad Thelckovium & concessit in viciniam Tribsesii, quo Sua Majestas hora tertia pomeridiana pervenit. In limitibus Sveciæ Pomeraniæ Suam Majestatem salutavit Excellentissimus Generalis Gubernator Baro Essen, nec non ablegati Procerum, aliique publici Ministri. Aliud autem illud agmen in æquali linea cum exercitu iter fecit, usque dum exercitus consveto ordine militari fluvium trajecisset, quo facto se ex adversa fluvii parte collocavit. Generalis adjutor tribunus Morian utraque die præfuit primo agmini. Sua Majestas tempore itineris excepta est prandio Bohlendorffii a Danico Cubiculario tribuno Kardoff.

Ephemerides Hamburgenses memorant articulum Berolino, ex quo apparet extensionem Borussicam ulterius porrigi, quam ad solam plagam Lauenburgicam, ista autem habet. Nuncii Berolinenses affirmant, duobus majoribus agminibus Borussicis datum esse mandatum, ut 7. Aprilis loco moveant; quorum alterum duce Generali Kalkreuth detinatum est progredi versus Pomeraniam Svecicam, alterum autem, quod ducit Generalis Schmetau, congregatur in vicinia inter Havelbergam, Perlebergam, & Colicium ad occupandam regionem Lauenburgicam. Sua Majestas Rex Borussicæ hac de re expedivit Berolini 31. Martii declarationem ad suam Regiam Svecicam Majestatem.

Occasione horum factorum quilibet, cui rerum nexus vel obiter cognitus est, venit in hanc cogitationem: Quid dicet Russia, si Regi Sveciæ vellet Borussia eripere Pomeraniam, cujus possessionem illi Imperator Alexander interposita sponsione certam fecit? Unde bellicosa profluunt consilia, quorum consecraria nequeunt in calculum revocari.

Brema 6. Aprilis. Germania Septentrionalis paulo post novam induet faciem, eam in rem omnes jam dispositones factæ sunt. Sors Hanoveranarum provinciarum decisa est. Ad civilem earum ex parte Borussiae occupationem necessaria edicta, & proclamationes Berolino advenerunt, & proxime publice proponentur. Borussicus Minister Hardenberg se munere suo abdicavit, alii eum dicunt dimissum esse; Retinet omnes habitos honores: & titulos. Hoc factum est, antequam emanassent edicta Hanoveram attinentia; alii autem contendunt evenisse post eorum expeditionem, Nonnulli denique ajunt; ea ab ipso non fuisse subscripta.

Borussicæ copiæ occuparunt omnes aditus fluviorum Albis, & Visurgis, per quos Angli intrare potuissent; Angli autem mandato ex Anglia accepto jussi sunt ab utroque fluvio recedere, Interdictum mercatoribus factum, ne merces Anglicanas sibi adferendas curent, omnes, ipsos etiam Borussicos subditos perturbavit. Verum hac in re nihil potest immutari, — — temporis ratio hoc exigit; obediendum est. — Narrant etiam, a

Borussia securum esse redditum **Ducem Brunsvicensem**, ejusque posteros de possessione suarum provinciarum, sed spei succedendi in **Electoreatu Hanoverano** renuntiare debent. Ista fiunt in **Germania septentrionali**; sed etiam **Australis** improvisa metuenda habet pericula, quæ tamen iterum dissipantur, uti docent litteræ **Ulmenses** de 7. Aprilis: — **Hæc** transivit in **Galliam** **Generalis Leopoldus Berthier**. **Fama** fert, omnes differentias **Galliam** inter, ac **Austriam** esse sublatas, & non nisi **Brunoduni** remansurum tantisper præsidium gallicum.

Quisque facili negotio assequitur, bella in continente geri ad restringendam **Anglorum** dominationem in mari. **Anglia** olim a **Romanis**, **Danis**, **Germanis**, **Normannis** &c. victa fuit, & sub jugum missa, & quidem quilibet horum populorum solus illam subigere potuit, quid autem hodie? **Tyrus**, **Carthago**, **Venetia**, **Hanseaticæ** foederatæ **Civitates** etiam dominabantur mari, at illarum dominatio se tantum ad certam maris partem extendebat; **Anglorum** imperium maritimum porrigitur ad omnia nota maria, & omnes mundi partes, quod eo periculosius est, quia exit ex insula, quam difficile est hostiliter invadere. Si etenim illam **Gens quæpiam** Continentis possideret, posset bello ex continente illuc translato everti. Sed circumdata mari nihil reformidat, natantibus defenditur munimentis; semper victrix solis tandem utetur navibus celocibus ad potentiam suam

sustentandam, ejus enim hostes suas magnas naves amittunt in præliis.

Ast intercludetur ei commercium in Con-
tinente, & cui usui illi tunc erit tanta præ-
ditam esse præpotentia? Hoc quidem ex par-
te quadam posse fieri non repugnat, at illa
vestit, rebus variis instruit totam Asiam,
Africam, & Americam; imo omnes insulas
in cunctis maribus, & universo terrarum orbe:
Ex jactura itaque continentis ad summum
perdet vicesimam partem sui commercii;
Hocne illi vulnus mortiferam inferet plagam?

BIOGRAPHIA:

Bogislaus XIV. & XVII. Dux Pomeraniae, A. 1580 natus, post mortem suorum fratrum factus est dominus totius Pomeraniae. A. 1615 matrimonio sibi junxit Elisabetham; Joannis junioris Ducis Holsatico-Sunderburgensis filiam, ex qua tamen A. 1653 mortua nullos susceperat liberos. Bogislaus diem obiit supremum A. 1637. Et quia hæredibus caruit, Pomerania obtigit Borussiae. Verum Sveci eam suæ ditioni subjecerunt; & A. 1648 vi articuli 11. pacis Osnabrugensis cessa illis est ea pars Pomeraniae, quam Svecicam vocamus; Borussia autem aliis provinciis fuit aucta. Borussi in bellis A. 1676; 1677, & 1678 gestis eam iterum eripuerunt Svecis; at in pace A. 1679 conclusa iterum restituerunt. Vide: *Balthasaram Henckelium de bello Regis Sveciae Gustavi Adolphi; et de fide Bogislai, Pomeraniae Ducis.*